

**1982-07-30 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Christifideles Boliviani’**

**IOANNIS PAULI PP. II  
SUMMI PONTIFICIS**

**LITTERA APOSTOLICA**

***CHRISTIFIDELES BOLIVIANI***

**BEATA MARIA VIRGO «NUESTRA SEÑORA DE LORETO»  
NUNCUPATA PRINCIPALES APUD DEUM PATRONA  
VICARIATUS APOSTOLICI BENENSIS IN BOLIVIA CONFIRMATUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – Christifideles Boliviani Vicariatus Apostolici Benensis in Sanctuario loci «Loreto» egregia pietate colunt Deiparam Virginem Mariam titulo «Nuestra Señora de Loreto» invocata, cuius in honorem novum templum ibidem sollemniter dicabunt hoc Mariali anno istius Nationis, quo tertium ipse celebrant saeculum a catholicae suae communitatis ortu. Insuper ad eiusdem sanctissimae Dei Matris cultura augendum, Venerabilis Frater Carolus Anasagasti, Episcopus titulo Caltadriensis et Vicarius Apostolicus Benensis, cleri et populi vota excipiens, electionem Beatae Marine Virginis titulo «Nuestra Señora de Loreto» nuncupatae in Patronam principalem apud Deum eiusdem Vicariatus Apostolici rite probavit atque una cum Auxilian Episcopo suo, datis litteris die I mensis Iunii hoc anno, rogavit ut electio et approbatio huiusmodi ad normam «Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30, confirmaretur. Nos igitur enixis precibus cupientes annuere, comprobatis iis, quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino, factis a Nobis facultatibus, hac in re egit, de plenitudine Apostolicae Nostrae potestatis, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatam Virginem Mariam titulo, quem diximus, invocata principalem apud Deum Patronam Vicariatus Apostolici Benensis confirmamus, omnibus adiectis iuribus et liturgicis privilegiis iuxta rubricas consequentibus. Ceterum volumus ut hae Litterae Nostrae religiose serventur suosque effectus nunc et in posterum habeant, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXX mensis Iulii, anno MCMLXXXII, Pontificatus Nostri quarto.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*